

siae provincias, ubi usus Syriacae linguae minor erat, probabile sane est aliquam saltem N. T. versionem Persica lingua confectam fuisse. Et revera S. Iohannes Chrysostomus in hom. 2<sup>o</sup> in Iohan. ad versionem Persicam appellat. Attamen huiusmodi antiqua versio ad nos non pervenit. Habent vero Persae alias versiones, quarum una legitur in Polyglottis Anglicis tom. IV impressa iuxta manuscriptum Ed. Pocockii an. 1314 exaratum, quae certe saeculo VIII antiquior non est, nec est immediata versio, sed ex Syriaca derivata, nec integrum N. T. sed Evangelia tantum complectitur. Altera etiam Persica versio ex Graeco textu confecta vulgari coepit a Whelock Lond. 1632 eiusque editio absoluta est a Pierson Lond. 1637. - Haec etiam quatuor tantum Evangelia continet, et est priore multo recentior. - Utraque versio, ut ex dictis sequitur, parvi momenti et exiguae auctoritatis est.

F. *Versiones Arabicae.* - Usque a saec. III. in Arabia Septentrionali plures Christiani florebant, quorum numerus postea auctus est a Saracenis, quorum multi ad Christum serius conversi sunt. Quamvis Graeca lingua in Arabia ignota non esset, plebs tamen graecae nesciebat, quare versio aliqua S. S. in Arabicam linguam necessaria videbatur. Itaque creditur iam saeculo IV quatuor Evangelia Arabice reddita fuisse, serius autem etiam reliqui N. T. libri in Syria et in Aegypto conversi sunt, plerumque post saeculum VII. In Polyglottis Parisiensibus et Londinensibus integrum N. T. ex graeco textu derivatum Arabice sistitur ex antiqua Romana editione an. 1390 cum multis tamen correctionibus; quo autem tempore, aut quibus auctoribus haec versio confecta fuerit valde incertum est. - Altera versio N. T. (Actorum et Epistolarum edita) fuit ab Erpenio an. 1616. - Aliae etiam innotuerunt versiones Arabicae in variis mundi partibus ab Arabibus olim occupatis confectae, quarum nonnullae nondum praelo submissae sunt. Speciatim vero memoranda est Arabica versio Romae vulgata ex antiquis codicibus iussu S. Congregationis de Propaganda Fide an. 1671. Hanc editionem curavit Sergius Rius, qui ex plurimorum codicum collatione eam expressit, lacunas autem supplevit ex textu originali et Vulgata latina.

Quare in Arabicis versionibus, ut patet, magna est varietas, nec minor confusio. Eam tamen quam Orientales quaedam Ecclesiae Orthodoxae, ut Graeci Melchitae, in ecclesiasticis usibus adhibent, fideliter sacros libros repraesentare ex ipsa Romanae Sedis

approbatione certum est. Caeterum Arabicae versiones praesertim N. T. vel quia recentes admodum sunt, vel quia de earum origine non constat, vel quia iterum atque iterum iuxta alias versiones Syriacam, Copticam et Latinam refictae sunt, in critica Biblica vix ullum habent valorem.

Haec sufficiant de antiquis versionibus N. T. sive Occidentalibus, sive Orientalibus. Caetera quae ad antiquas versiones pertinent dicemus in Sectione sequenti, ubi de Veteris Testamenti integritate sermo erit. Ibi etiam nonnulla addemus de Biblii Polyglottis, quae plures huiusmodi versiones simul collectas et iuxta positas lectoribus sistunt.

Hic locus esset de *vernaculis*, seu *recentioribus* versionibus dicendi. Verum in animo est de his plura dicere in Hermeneutica Biblica, ubi de sacrae Scripturae lectione in lingua vulgari, et de varia in hac re Ecclesiae disciplina disseremus. Sufficiat interim animadvertere vix ullam nunc extare gentem quae S. S. in sua lingua non habeat; omnes istae versiones nullum criticum habent valorem: earum tamen puritas et fidelitas diiudicanda est tum ab intrinseco, spectata scilicet eius conformitate cum textu originali vel cum Vulgata latina, tum praecipue ex tacita vel expressa S. Sedis approbatione. Ita ex. gr. versio Italica illius A. Martini, et versio Hispanica P. Philippi Scio tacite approbatae sunt missis a Romano Pontifice Pio VI ad auctores honorificis literis; Germanica vero confecta a I. F. Allioli, et Polonica P. Wuljek specialibus Brevibus Pontificiis probatae fuerunt. Plures quoque extant vulgares versiones non solum non probatae sed etiam damnatae, utpote quae ab haereticis hominibus, vel in haereticorum favorem confectae fuerunt ut est apud nos versio Iohannis Diodati et apud Germanos versio Martini Lutheri, et aliae huiusmodi: tales etiam sunt omnes vulgares versiones editae a *Societatibus* protestantibus, quas *Biblicas* vocant, de quibus dicemus in citato loco.

### CAPUT III.

#### DE LIBRORUM N. T. VERACITATE

Demonstrata librorum nostrorum authentia et integritate ad illud nunc accedendum est, quod totius controversiae caput constituit, et ad quod praecedentes quaestiones tamquam ad finem et

scopum suum principale diriguntur, libros scilicet N. T. *veraces* esse ac *fide dignos*. Adversarios habemus praeter antiquos religionis hostes ingentem sane turbam incredulorum hominum, qui aetate hac nostra religionem omnem revelatam impugnare ac lacerare non desinunt, qui quidem non contenti divinam sacrae Scripturae inspirationem et auctoritatem negasse, ipsam factorum veritatem et historicam eorumdem librorum fidem audacter impetunt: quos inter Strauss et Renan cum innumeris asseclis nobis refutandi erunt.

Primum vero *generali* Thesi demonstrabimus N. T. veracitatem, tum vero *in specie* quasdam partes ab adversariis praecipue impugnatas defendendas suscipiemus.

#### THESIS XV.

*Auctores Librorum Novi Testamenti  
tum in factis enarrandis tum in doctrina Christi referenda  
plenissimam fidem merentur.*

Ad veracitatem scriptorum ostendendam duo argumentorum genera afferri possunt *directa* nempe et *indirecta*. Directa ex auctorum ipsorum dotibus desumuntur, qui si fide digni demonstrantur, eorum scripta ut veracia habenda sunt: indirecta vero constant ex aliorum testimoniis, qui res in libro contentas suffragio suo confirmant.

##### §. I. Argumenta directa.

Dotes quae in testibus requiruntur ac sufficiunt ad fidem faciendam ad duas revocari notissimum est, ad *scientiam* scilicet et *sinceritatem*. *Scientiae* nomine nequaquam eruditio seu doctrina intelligenda est, quae minime in testibus requiritur, verum simplex tantum rerum quae scribuntur notitia, quae etiam in rudibus et imperitis hominibus esse potest: huic testium doti opponuntur *ignorantia* et *error*. *Sinceritas* autem est voluntas verum dicendi, seu res narrandi quemadmodum cognitae sunt; huic opponitur *mendacium*. Haec duo si constant fides testibus plenissima adiungenda est. Ut enim subtilius rem declarem, per scientiam inducitur aequatio inter rem et mentem auctoris, per sinceritatem au-

tem aequatio inter mentem eius et scriptum, unde sequitur rem obiective spectatam et scriptam rei narrationem convenire, seu hanc *veracem* esse. Has igitur duas dotes in nostris auctoribus probabimus. Quoniam vero ea omnia quae in libris N. T. leguntur vel doctrinalia sunt, vel historica, et haec quidem vel naturalia sunt facta vel supernaturalia, hinc opportunum duximus ea in Thesi exprimere, ut ita incredulos ac rationalistas expresse impugnemus, qui modo omnia simul, modo singillatim unum vel alterum ex laudatis SS. Librorum subiectis impetunt.

I. Auctores N. T. ea quae scribunt *scire poterant ac debebant*.

Quod auctores N. T. notitiam rerum quas scribunt habere debuerint ex ipsis eorum adiunctis certissimum est: quam ob causam diximus genuinitatem librorum N. T. praecipuum esse fundamentum eorum veracitati demonstrandae. Sane ex dictis in cap. I sequitur auctores nostros coevos fuisse factis quae referunt, immo eorum oculos testes, plerumque etiam in iisdem partem habuisse. Quare omnium nomine Iohannes unus ex illis aiebat in prima sua epistola cap. I: « Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contractaverunt de verbo vitae, et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem, et apparuit nobis: quod vidimus et audivimus annuntiamus vobis. » Et in Actis IV, 20 Petrus et Iohannes magistratibus Iudaeorum respondebant: « Non enim possumus quae vidimus et audivimus non loqui. » Idem testatur Petrus 2 Pet. I, 16-18, et alii pro data opportunitate. Ergo fieri non potuit ut ea de quibus scribunt ignorarent. — Removenda tamen hic sunt quaedam dubia, quae statim occurrunt sive ex parte quorundam ex laudatis auctoribus, sive ex parte quarundam rerum quae in N. T. leguntur. (1) enim obici posset Lucam, Marcum et Paulum nequaquam Christi comites fuisse, neque immediatos factorum testes. — Respondemus tamen tres istos auctores in iis adiunctis constitutos fuisse ut cum reliquis testibus sint prorsus comparandi. Et sane imprimis omnes coevi fuerunt: deinde, iuxta quosdam, Marcus et Lucas quamvis non Apostoli, fortasse in numero Christi discipulorum fuerant (1), atque ita plu-

(1) Id de Marco expresso refert Epiphanius, et cum eo plures alii Doctores; de Luca autem idem Epiphanius cum Theophylacto aliisque, quamvis plures id negent et quidem probabilius, ut alias vidimus.

rium rerum testes esse potuerunt; aut certe, si hoc negetur, ita cum Apostolis aliisque immediatis testibus coniuncti erant, ac ita diligenter ab eis edocti, ut unum cum illis testimonium moraliter efficerent. Id sane Lucas de se testatur initio sui Evangelii, cum ait se scribere « *sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis:* » de Marco autem testantur aevi Apostolici scriptores illum a Petro potissimum ea didicisse, quae in Evangelio scripsit, quemadmodum prae caeteris tradidit Papias, seu potius Iohannes presbyter Apostolorum coaevus et familiaris a Papias citatus apud Eus. hist. Eccl. lib. III, cap. 39, ubi postquam dixisset Marcum Petri interpretem iuxta illius testimonium scripsisse subdit: « *Id unum studebat (Marcus) ut ne quid eorum quae audierat praetermitteret, aut ne quid falsi eis affingeret.* » Constat praeterea Marcum vix aliquid referre quod etiam in Evangelio Matthaei non legatur, qui Christi Apostolus et comes fuerat. Ad Paulum vero quod attinet, ut omitteremus eum a Christo immediate edoctum fuisse (Act. IX, Gal. I), ea quae scribit in suis epistolis non sunt proprie Christi gesta, sed potius ea quae ipsi Paulo contigerunt, vel sub eius oculis facta sunt. Praeterea Paulus post suam conversionem ad Apostolos accessit, omnia cum illis communicavit, et in eorum societatem adscitus est. Stat igitur horum trium testimonium uti immediatum haberi posse, nec ab Apostolorum testimonio posse seungi. - De ipsis autem rebus quae a nostris auctoribus referuntur quaeri posset 1) undenam scire potuerint ea quae ante eorum vocationem acciderunt qualia sunt illa omnia quae referunt de Christi nativitate, infantia et adolescentia usque ad eius publici ministerii inaugurationem. - Verum responsio in promptu est, eos scilicet ex aliorum testimonio, et publica fama haec scire potuisse; haec enim omnia plures habuerant testes, Iohannem Baptistam, Mariae, ac Elisabeth cognatos et amicos, item pastores aliosque multos; nam apud populum etiam res illae statim divulgatae fuerant. Quod si haec suspecta videantur, nonne satis erat Apostolis testimonium Christi ipsius? Nonne Mariae testimonium sufficiebat, quae horum omnium testis, ac intime conscia erat, et certe cum Apostolis ea communicare volebat ad eorum, et nostram utilitatem? Neque enim frustra Lucas, qui haec praecipue narrat bis in cap. II animadvertit: « *Maria autem conservabat omnia verba haec (omnia haec facta atque dicta) in corde suo.* » Nec temere

veteres scriptores tradiderunt Lucam ex diuturna cum Bñia Virgine consuetudine ac familiaritate multa edoctum fuisse. - 2) Dubitari posset an doctrinam Christi auctores nostri recte intellexerint, ita ut sine errore eam referre potuerint; nam ex una parte Evangelicam doctrinam valde sublimem esse constat, ex alia vero parte Apostoli rudes et imperiti apparent. Similis etiam dubitatio circa miracula oriri posset: cum enim haec facta sint supernaturalia non videtur rudes homines potuisse iudicium de iis tuto ferre. - Verum dubitationes huiusmodi aequivocationibus, et inaccuratis rerum conceptibus innituntur. Nam doctrina Evangelica sublimis quidem est si in se spectetur, et hoc ipso non potuisset unquam a viris imperitis aut ab ullo prorsus humano ingenio confingi, ut infra dicemus; sed si spectetur modus quo proposita est, nihil illa facilius esse poterat. Christus enim non philosophorum more per eruditas et subtiles disputationes doctrinam suam praedicavit, sed per exempla, per parabolas, ac breviores sententias centies ac milies repetitas, scilicet prout ferebat eius scopus religionem universalem stabiliendi; quare facile omnino erat Apostolis ea quae audierant memoriae mandare ac postea fideliter referre: praesertim cum iis praeter publicam et communem praedicationem privata quoque ac sollicita praesto esset magistri instructio atque schola. Neque officit quod Apostoli saepe exhibeantur in ipso Evangelio tamquam verba Christi non recte intelligentes: nam imprimis id post adventum Spiritus Sancti iis a Christo promissi (Io. XVI) amplius accidere non potuit; deinde hic non tam agitur de recte intelligendis Christi sentiis, quam de illis memoria retinendis ac fideliter scribendis: hoc enim est quod faciunt Evangelistae dum verba Christi, prout ab eius ore prodierant, simpliciter referunt accuratum eorum sensum et profundiorum explicationem omittentes. Paulus prae caeteris sublimiora et arcana exponere solet in suis epistolis; is autem eruditionis laude praestabat, nec rusticitatis insimulari potest. Denique omittendum non est rectam intelligentiam religiosae ac moralis doctrinae non ex ingenii acumine aut ab eruditionis amplitudine pendere, sed potius a recta animi dispositione, a cordis simplicitate et vitae conformitate; quo sensu ipse Christus Dominus de sua doctrina vere dicere potuit Matth. XI, 25: « *Confiteor tibi, Pater Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* » Quare optime

poterant Apostoli doctrinam Christi ita agnoscere ut sine errore eam exponere possent. Apertum autem est nos his praescindere ab divina inspiratione quae auctoribus nostris scribentibus praesto fuit, qua semel admissa nodus difficultatis omnino praecideretur, ut patet. - De miraculis autem dicimus aliud esse factum ipsum prodigiosum quod sensibus percipitur, aliud vero facti ipsius intimam naturam atque explicationem. Porro auctores nostri facta ipsa narrant, prout oculis suis viderant, iudicium vero de eorum natura lectoribus relinquunt. Caeterum miracula in N. T. descripta tot sunt, tam evidenter, tam omnibus naturae legibus contraria, ut prodigiosam eorum naturam nemo ignorare, aut negare possit.

II. De *sinceritate* auctorum N. T. in rebus narrandis. - Auctores N. T. non solum ea de quibus scribunt scire omnino debebant, sed ea sincere et fideliter referre et voluerunt, et debuerunt. Quod quidem multis modis convinci potest sive ipsae auctorum personae spectentur, sive res quas scribunt. Id igitur ostendimus

A. Ex parte ipsorum *Auctorum*. 1°) Cum res ab auctoribus coaevis, immediatis earum testibus, et invicem consentientibus narrantur eorum sinceritas non est necessario probanda, sed *praesumenda* donec contrarium ostendatur: hinc solent critici et historici narrationes coaevorum ut veras habere, nec sollicitè inquirunt de eorum veracitate, cum nihil occurrat quod suspicionem ingerat erroris atque mendacii, quinimo etiam auctorum paulo recentiorum testimonio acquiescere solent. Ita gesta Alexandri Magni quamvis mirabilia a criticis admittuntur ex testimonio Arriani, et Q. Curtii, item gesta Socratis eiusque doctrina ex testimonio Platonis, et Xenophontis eius scholae scriptorum. Possemus igitur adversariis negare ulteriorem demonstrationem sinceritatis auctorum N. T. Verum hanc etiam afferemus, et argumentum adducemus 2°) ex *personali caractere* Auctorum. - Character quem auctores nostri praeseferunt, talis est ut ex una parte constet eos minime entusiasmato aut phantasiae aestu abreptos fuisse ut ad exaggerandum proclives fuerint, ex alia vero parte eos ab omni mendacio alienos fuisse, quamvis supponeremus eos impune mentiri potuisse. Id suadent imprimis brevitas ac parcitas narrationum, item simplicitas in rebus etiam gravissimis referendis, quae fidem superare videbantur, quas tamen ita referunt ut nihil solliciti sint de lectorum animis captivandis aut praeparandis, vel de difficultatibus removen-

dis, rerum ipsarum veritati unice confisi: in Christi et suis gestis narrandis ab omni humana sentiendi ratione veluti exutos sese exhibent; numquam suscipiunt magistri vel sui defensionem, non indignantur, non irascuntur inimicis; a proprio iudicio ferendo et a personarum caractere definiendo ubique abstinunt; denique eadem simplicitate ac ingenuitate narrant tum ea quae legentibus, grata tum ea quae ingrata fore sciebant, tum ea quae in eorum honorem tum ea quae in dedecus vertunt: quae quidem ex mera librorum lectione ab omnibus probari possunt, quin opus sit notissima exempla in medium adducere. Haec igitur omnia evidenter ostendunt animi candorem, quo auctores nostri praediti erant, ita ut veritati unice inhaerentes, caeteris posthabitis, nihil scribere vellet nisi quod certo sciebant, ab omni prorsus vel simulatione vel fictione vel exaggeratione alieni. Confirmantur haec validissime

3°) ex *adiunctis* ipsorum auctorum. - Supponamus praeumper auctores nostros non ita sinceros ac candidos fuisse quemadmodum eos fuisse ostendimus; imo supponamus eos animum mentiendi habuisse. Hac etiam hypothese admissa adhuc certi essemus eos non fuisse mentitos. Nam saepe ea incidunt adiuncta in quibus mendaces etiam homines veritatem dicere coguntur, et eorum testimonium certissimum est; scilicet quando ex mendacio non solum nihil illis sperandum sit, sed ardua quaeque timenda ac perferenda; unde notum illum adagium « nemo mendax in caput suum ». Porro in his adiunctis Apostoli versabantur cum Christi Evangelium praedicarent et scriberent. Quid enim illis sperandum fuisset? Nonne sciebant novam religionem Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam videri? an ita ignari erant corruptionis humanae naturae et praedudiciorum, quibus homines tunc detinebantur, ut non viderent suae praedicationi ac testimonio undique contradicendum iri, nihilque aliud sibi expectandum esse, quam persecutiones et mortem, quemadmodum Christo ipsi religionis auctori contigerat? Quae quidem etiamsi ab initio ignorare potuissent Apostoli, ipsa tamen experientia illos docuerat antequam ad scribendum accederent; iam enim in carcerem detrusi, flagellati in synagogis et pro Christi nomine contumeliam passi fuerant: et haec persecutio nedum cessaret, in dies potius ingravescerat; quare Paulus omnium nomine: « Usque in hanc horam, inquit, et esurimus, et sitiimus, et nudi sumus, et colaphis caedimur, et instabiles sumus; et laboramus ope-

rantes manibus nostris: maledicimur et benedicimus, persecutionem patimur et sustinemus: blasphemamur, et obsecramus: tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc » (1 Cor. IV, 11 seqq.), et in cap. XV vere observat: « Si in hac vita tantam in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. » — Nec dici potest eos spe futurae vitae erectos fuisse. In hypothesi enim quod mentiti fuerint probe sciebant nullam sibi pro mendacio ac fraude mercedem a Deo expectandam esse. Ergo certissime apparet eos solo veritatis amore ductos fuisse.

B. Idem probatur ex parte rerum quas scribunt.

Quoniam vero res omnes quae in N. T. continentur vel historica facta sunt, vel doctrinae capita, placet ex utroque rerum genere distinctum sumere argumentum. 1<sup>o</sup> Igitur ex *historiae* et *factorum* indole argumentabimur, 2<sup>o</sup> ex *doctrinae* natura, quibus 3<sup>o</sup> addemus argumentum ex *sublimitate characteris Christi*, prout a nostris auctoribus describitur, quo simul et historia et doctrina N. T. confirmabitur: character enim Christi ex utraque simul exurgit. Ostendemus itaque tria haec in se spectata huiusmodi esse, ut non potuerint a nostris auctoribus confingi, seu evidentem in se ipsis veritatis characterem gerere.

1<sup>o</sup> Ad *historiam* quod attinet ita argumentamur. Ea historia vera omnino dicenda est, quae refert facta publica et natura sua notoria, ea aetate quae proxime eorumdem eventum subsequuta est, illis in locis ubi facta dicuntur accidisse, iis audientibus et legentibus qui factorum veritatem vel falsitatem compertissimam habere debebant: atqui talis est historia N. T. — Ergo historia N. T. vera omnino dicenda est.

Sane auctores N. T. paulo post Christi mortem scribentes tum eius, tum sua gesta referunt non ut secreta et sibi solum comperta, sed uti publica et notoria coram immensa testium multitudine patrata, quorum innumeri homines subiectum fuerint, quaeque sub oculis ipsorum adversariorum acciderint: ita ut cum haec scriberent, magna horum testium pars superstites esse deberent: haec autem omnia non modo indefinito et vago narrant, sed loca ubi acciderunt designant, personas quae praesentes fuerunt nominant, tempus accurate determinant, ad populi et ad ipsorum adversariorum testimonium provocant. Huiusmodi esse facta in N. T. narrata

ex eius lectione apparet: sufficit hic praecipua quaedam in mentem revocare: uti sunt ex. gr. conversio aquae in vinum (Io. II), visus redditus caeco a nativitate (Io. IX), duplex panum et piscium multiplicatio ad plura hominum millia saturanda (Math. XIV, et XV), omnis generis morborum repentina sanatio (Evang. passim), plures mortui ad vitam revocati (Math. IX, Luc. VII, Io. XI), prodigia quae tempore mortis Christi locum habuerunt (Matt. XXVIII, 51 et seqq. Luc. XXIII, 44 seqq.), Christi ipsius resurrectio, apparitiones, et ascensio in coelum (Math. XXVIII, Mar. XVI, Luc. XXIV, Io. XX et seqq., Act. I); denique miracula per Apostolos vel in Apostolis peracta praesertim claudi sanatio ad portam templi coram Hebraeorum turba (Act. III), et Pauli prodigiosa conversio ad Christum (Act. IX). De nonnullis gravioribus factis Auctores nostri dicunt etiam examen a Iudaeorum doctoribus et magistratibus institutum fuisse, eosque coactos factorum veritatem admittere, ut praesertim factum est de Lazari resurrectione Io. XI, 47 et seqq., de sanatione caeci Io. XI, et de clauda a Petro et a Iohanne liberato (Act. IV, 43 et seqq.). Tam publica igitur et tam certa esse debuit horum factorum notitia, tot eorum praesentes testes, ut impossibile fuisset auctoribus nostris in iis referendis aut errare aut mentiri.

2<sup>o</sup> De *doctrina* in N. T. proposita. — Doctrinae N. T. indoles et sublimitas novum suppeditat argumentum pro sinceritate auctorum in ea referenda. Doctrina enim illa non potest ab ingenio alicuius auctoris repeti, quae eius capacitatem longe superat. Atqui doctrina in N. T. exposita longe superat capacitatem auctorum nostrorum. Ergo ab iis excogitari vel fingi numquam potuisset: ergo nihil aliud ipsi Auctores praestare valuerunt, nisi eandem doctrinam prout acceperant fideliter ac sincere referre. Ad haec ostendenda sufficit breviter percurrere praecipua doctrinae Evangelicae capita, ex quibus religiosum et morale Christianae fidei systema exurgit; quae tamen brevissime innuemus, lectoribus relinquentes, ut singula uberius evolvant. — Itaque imprimis pars *speculativa* doctrinae N. T. longe sublimior est omni Paganorum philosophia, ipsaque religione Mosaica. Nam Dei naturam et attributa non solum absque ullis absurditatibus, sed sublimiter ac magnifice proponit, Deumque ut patrem providentissimum atque amantissimum ubique exhibet. Quae respiciunt hominis naturam et destinationem, sublatis philosophorum erroribus ac Iudaicae doctrinae obscuritatibus clarissima

in luce collocat: mundi et hominis originem, corruptionis humanae veram causam, peccati remedium, cultum Deo dignum et gratum, verum denique hominis finem apertissime tradit: atque haec omnia ita exponit, ut quamvis in se difficilia, ab omnibus tamen facile apprehendi et animo teneri possint. Ipsa mysteria quamvis rationis captum superent, eius tamen principia non solum non destruant sed confirmant, accuratius definiunt, ac mirifice complent; eademque mysteria altiore et sublimiorem de Deo ideam animo ingerunt, nec tantum inter se sed etiam cum veritatibus naturalibus harmonice cohaerent, ita ut ex utriusque ordinis veritatibus unum exurgat systema connexum et compactum, sanae rationis dictatis, et humanae naturae exigentis apprime respondens, in quo unice bona ingenia omnium aetatum conquiescere potuerunt.

*Practica* vero doctrina N. T. longo intervallo post se relinquit omnium moralium Philosophorum monita ac documenta, immo et ipsam Mosaicam legem quae Evangelicae comparata minus perfecta, ac sublimis apparet.

Consulantur potissimum sequentia doctrinae capita: Matrimonii unitas et indissolubilitas, continentiae et coelibatus consilium, dilectio inimicorum, voluntaria paupertas, humilitas, suisius abnegatio: expendantur imprimis *octo beatitudines* (Mt. V, Luc. VI), in quibus purioris Evangelicae moralis doctrinae veluti compendium continetur. Haec autem sive praecepta sive consilia quantis urgentur momentis! cum quanta legislatoris auctoritate proponuntur! quibus confirmantur exemplis! quibus fulciuntur auxiliis! Scilicet nihil in hoc doctrinae systemate deest ad homines non modo erudiendos, sed et ad sublimiorem perfectionis apicem efficaciter perducendos. — Iamvero haec excogitare superabat ingenium et capacitatem non modo paganorum, quorum etiam sapientissimi in turpissimos errores morales lapsi sunt, sed etiam Iudaeorum praesertim illius aetatis. Praeterquamquod enim Mosaica doctrina circa mores etiam in se spectata multo minus perfecta ac sublimis erat quam Evangelica, Iudaeorum doctores Legis literae tenacius adhaerentes, et variis praedudiciis animum praecoepatum habentes huius etiam imperfectioris doctrinae non satis adaequatam ideam sibi efformaverant; quare sublimitas Evangelii numquam in eorum animum cadere potuisset, aut eorum ingenio excogitari. Quanto

igitur minus haec a nostris auctoribus repeti posset, quos etiam inter suos rudes et incultos fuisse compertum est!

3° *Character Christi Domini* prout in nostris libris describitur idem demonstrat. — Ex historiae Evangelicae factis veluti ex totidem lineis imago Christi seu character exiit qui adeo sibi constat, tantaque dignitate praeferat ut fingi ab hominibus praesertim simplicioribus, quales erant scriptores N. T. nullatenus potuerit. Sane in Christi ingenio summam animi nobilitatem cum singulari lenitate ac modestia coniunctam admiramur; unde grandia illa consilia, quibus perficiendis advenerat, diuturno pressa silentio, non nisi sub vitae exitum explevit. Animi dotes virtutesque ex gente aut ordine, ad quem pertinebat, non traxit sed sibi tantum debuit. Nam tum maxime in Iudaica gente vigeant opiniones de moribus absurdissimae, ac vitae corruptio omnis ordinis homines invaserat. Nihilominus Christus ex infimae plebis medio, cum qua totam fere vitam transegit egressus illico totam morum disciplinam abstergit a maculis, quae apud Phariseos, Sadducaeos, item Platonicos ceterosque Philosophos in rebus Ethicis ac Religiosis inoleverant, atque nitore pristino restitutam, ad illud perfectionis culmen deducit, quo nihil sublimius ac praestantius cogitari potest. Hic vero totius humani generis amicus tanta omnes charitate complectitur, ut vitam profundere libenter non dubitet pro omnibus, atque adeo pro suis etiam acerrimis inimicis. Hic autem Christi character per omnes vitae casus ac discrimina traductus in humili recessu Nazareth aequae ac in urbe principe ac in frequenti populi concursu, cum infima plebe aequae ac cum Iudaeorum primoribus, cum hominibus diversi atque contrarii ingenii et instituti, cum amicis et cum inimicis, per infamiam et bonam famam, inter insidias ac cavillationes, per medios cruciatus usque ad crudelissimam mortem sibi perpetuo cohaeret. Ubique enim consilium et gravitas illum comitantur, miraque in eo benignitas ac prudentia elucet; adeo ut ex eius vitae factis exurgat practicum illudque perfectissimum archetypon doctrinae, quam ipse tradidit hominibus. Iamvero tam sublimem viri characterem fingere tantaque constantia illum in tot diversis adiunctis perpetuo sibi cohaerentem conservare drama est, quod ingenium Iudaicum illius aetatis praesertim plebeium omnino superabat. — Neque forte dicas Socratis characterem ita describi a Platone et Xenophonte potuisse, ut posthabita

historiae veritate, nobilissimi philosophi potiusquam Socratis imaginem, sibi tamen satis constantem expresserint: nam praeterquam quod Socratis character longe inferior est Christi caractere in N. T. expresso, ut vel ipse incredulus Rousseau fatetur, ac eloquenter evincit, hoc, inquam, etiam omisso, si scribendi facultatem spectemus cum rusticioribus Christi biographis conferri nullatenus possunt Plato, cuius eloquentia divina divinumque ingenium est habitum, aut Xenophon quem Philosophorum Isocratem ob miram dicendi artem dixerunt. Nostri enim eo tantum narrando valebant ut quae audiverant et viderant, simpliciter nullo styli fuco aut verborum lenocinio referrent. Lucas, qui dicendi facultate caeteris praestabat, ea non utitur, sed presse secutus Matthaei, Marci que commentarios, eos fere exscribit, pauca subinde apponens quae aliunde innoterant, neque characteris Christi substantiam afficiunt.

Quae cum ita sint, sequitur Christi characterem esse realem et *historicum* ideoque vera esse facta veramque doctrinam, ex quibus ille coalescit (1).

Quoniam vero ex ore adversariorum veritatis confessio magnam ad eius confirmationem vim habere videtur, placet haec omnia quae diximus de N. T. doctrina et lesu Christi caractere testimonio confirmare, quamvis notissimo, I. I. Rousseau in opere: *Emile* l. IV.

« Voyez les livres des philosophes avec toute leur pompe, qu'ils sont petits près de celui-là! Se peut-il qu'un livre à la fois si sublime et si simple soit l'ouvrage des hommes? Se peut-il que celui, dont il fait l'histoire ne soit qu'un homme lui-même? Est-ce là le ton d'un enthousiaste, ou d'un ambitieux sectaire? Quel douceur! quelle pureté dans ses mœurs! quelle grâce touchante dans ses instructions! quelle profonde sagesse dans ses discours! quelle présence d'esprit! quelle finesse, quelle justesse dans ses réponses! quel empire sur ses passions!.... Où est l'homme, où est le sage qui sait agir et souffrir sans faiblesse et sans ostentation? Quand Platon peint son juste imaginaire couvert de tout l'opprobre du crime, et digne de tous les prix de la vertu, il peint trait pour trait Jesus-Christ. La ressemblance est si frappante que tous les

(1) Hoc argumentum copiose et eloquenter proponit Hug in Parte I Cap. 2 Introductionis in N. T. cuius disputationis substantiam hic exhibuimus.

pères l'ont senti, et qu'il n'est pas possible de s'y tromper... Quel préjugé, quel aveuglement ne faut-il pas avoir pour oser comparer le fils de Sophronisque au fils de Marie! Quelle distance de l'un à l'autre! Socrate mourant sans douleur, sans ignominie soutient aisément jusqu'au bout son personnage, et si cette facile mort n'eût honoré sa vie, on douterait si Socrate avec tout son esprit, fût autre chose qu'un sophiste. Il invente, dit-on, la morale; d'autres avant lui l'avaient mise en pratique; il ne fit que mettre en leçons leurs exemples. Aristide avait été juste, avant que Socrate eût dit ce que c'était que justice, Léonidas était mort pour son pays, avant que Socrate eût fait un devoir d'aimer la patrie: Sparte était sobre avant que Socrate eût loué la sobriété; avant qu'il eût défini la vertu, la Grèce abondait en hommes vertueux. Mais où Jesus avait-il puisé chez les siens cette morale élevée et pure, dont lui seul a donné les leçons et l'exemple? Du sein du plus furieux fanatisme la plus haute sagesse se fit entendre; et la simplicité des plus héroïques vertus honora le plus vil de tous les peuples. La mort de Socrate philosopant tranquillement avec ses amis est la plus douce qu'on puisse désirer: celle de Jesus expirant dans les tourments, injurié, raillé, maudit de tout un peuple, est la plus horrible qu'on puisse craindre. Socrate prenant la coupe empoisonnée bénit celui qui la lui présente et qui pleure; Jesus au milieu d'un supplice affreux prie pour ses bourreaux acharnés. Oui, si la vie et la mort de Socrate sont d'un sage, la vie et la mort de Jesus sont d'un Dieu. Drons-nous que l'histoire de l'Evangile est inventée à plaisir? Mon ami, ce n'est pas ainsi qu'on invente, et les faits de Socrate, dont personne ne doute, sont moins attestés que ceux de J. C. Au fond c'est reculer la difficulté sans la détruire. Il serait plus inconcevable que plusieurs hommes d'accord eussent fabriqué ce livre, qu'il ne l'est qu'un seul en ait fourni le sujet. Jamais des auteurs juifs n'eussent trouvé ni ce ton, ni cette morale, et l'Evangile a des caractères de vérité si grands, si frappants, si parfaitement inimitables, que l'inventeur en serait plus étonnant que le héros. »

§. II. Argumenta indirecta.

Diximus testimonium auctorum N. T. posse indirecte confirmari ab extrinseco, idest ex eius conformitate cum aliorum testimoniis fide dignis. Hic igitur aliqua afferemus testimonia in eorundem ibrorum confirmationem. Ita vero argumentum proponimus:

Illa facta uti vera habenda sunt quae uti talia admissa fuerunt ab iis qui de ipsorum veritate facillime poterant inquirere, et quorum valde intererat ea non admittere, nisi eorum veritatem omnino perspectam haberent; atqui talia sunt quae in N. T. narrantur. Ergo ut vera sunt habenda.

Ad minorem probandam testimonium afferemus A. eorum qui Christianae fidei nomen dederunt, B. etiam eorum qui extra Ecclesiam manserunt, eique vehementer adversati sunt.

A. Testimonium eorum qui aetate Apostolica ad Christum conversi sunt.

Itaque quod pertinet ad primos illos Christianos tria haec ex historia constant: 1° magnam fuisse eorum multitudinem qui tum ex Iudaismo, tum praecipue ex ethnica superstitione conversi sunt ipsa aetate Apostolica; 2° constat eos facile potuisse factorum veritatem investigare; 3° validissima motiva habuisse ad istam investigationem suscipiendam et ad rerum veritatem certius cognoscendam antequam illis fidem adiungerent. Quae tria nunc breviter ostendemus. - 1° Magnam fuisse Christianorum multitudinem in prima aetate Ecclesiae probatur certissimis illius aetatis testimoniis. - Apostolus ad varias Christianorum societates numerosissimas, et florentissimas suas epistolas dirigit, et ad Romanorum Ecclesiam scribens ait I, 8: « Primum quidem gratias ago Deo meo per I. C. pro omnibus vobis quia fides vestra annuncietur in univ<sup>er</sup>so mundo »; idem patet ex Act. Apostolorum II, 41, VI, 1 et Epistolis Catholicis. - Ex profanis scriptoribus item scimus Christianis omnia plena fuisse in omnibus Imperii provinciis. Plinius junior Asiae pro consul sub finem saec. I in celebri epistola ad Traianum ait: « Visa mihi res est digna consultatione propter periclitantium numerum, multi enim omnis aetatis, ordinis, sexus vocantur in periculum, et vocabuntur: non modo enim civitates et insulas, sed vicos etiam et agros Christianae superstitionis contagio pervagata est, Deorum

templa deserta et sacra diu intermissa » Lib. X epist. 97. Seneca (apud August. lib. VI de Civ. Dei c. XI): « Cum interim usque eo consuetudo convalluit sceleratissimae gentis, ut per omnes iam terras recepta sit, victi victoribus leges dederunt » (1). Eadem paulo post dicebat Tertullianus in Apologetico c. XXXVII Romanos alloquens ita: « Hesterni sumus et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castra ipsa, Palatium, senatum, forum; sola vobis reliquimus templa. » Sane vestigia Christianismi innumera ad prima duo saecula pertinentia tum in omnibus fere regionibus, tum Romae praecipue videri possunt.

Constat igitur magnam fuisse tum Iudaeorum, tum paganorum multitudinem, qui aetate ipsa Apostolica Christi religionem amplexi sunt. Quod autem ii omnes N. T. historiae plenam fidem adhiberint probatione non indiget. Siquidem constat Christianos semper hos libros in magna veneratione habuisse, et ex alia parte nisi haec vera esse credidissent, non fuissent ad fidem conversi (2). - 2° Quod hi omnes facile possent rei veritatem investigare certissimum est ex aetate ipsa qua vivebant. Tunc scilicet superstites adhuc erant plurimi qui dicebantur vel factorum oculati testes, vel etiam immediatum eorum subiectum. Multi etiam in iis locis degebant, ubi facta evenisse dicebantur; omnibus autem praesto erat viva adhuc fama, et populi traditio; ex quibus omnibus nihil erat facilius quam Evangelicae historiae veritatem investigare eiusque certitudinem expendere. - 3° Illos autem gravissima motiva habuisse ad huiusmodi examen accurate instituendum ex eo manifeste ostenditur quod historiae illius veritas vel falsitas non erat quaestio mere speculativa, sed eminenter practica; agebatur enim

(1) Loquitur de Christianis, quos per ignorantiam cum Iudaicis confundit, quemadmodum et Rutilius facit in notis illis versibus: « Atque utinam nunquam Iudaea subacta fuisset Pompei bellis, imperioque Titi! Latius excisae pestis contagia serpunt, Victoresque suos natio victa premit. » Cfr. inter caeteros Mamachium *Orig. et Antig. Christian.* to. I, Ed. Rom. 1749, pag. 343 seqq.

(2) Notum est Augustini argumentum De Civ. Dei I. XXII, cap. 5 a Dante Aligherio eleganter expressum (Paradiso Canto XXIV, terza 36):

« Se il mondo si rivolse al Cristianesimo,  
Diss'io, senza miracoli, quest'uno  
È tal che gli altri non sono il centesimo. »



de nova religione recipienda quemadmodum reipsa hi omnes eam receperunt. Jamvero obstacula et difficultates gravissimae eos ab hoc avertere debebant. Quarum quidem aliae *intrinsecae* erant, aliae *extrinsecae*. Ad intrinsecas difficultates pertinebat imprimis *moralis societatis status*: Pagani enim in summam morum atque animi corruptionem prolapsi erant; scepticismus mentibus insederat, egoismus, voluptatum amor, ferocia eorum corda occupaverat, nec multo meliores erant illius aetatis Iudaei. Nova autem religio doctrinam praedicabat sublimem ac difficilem, in multis etiam humanae rationi imperviam ac sola fide credendam: moralia autem praecepta proponebat severa et humanae corruptioni maxime ardua, humilitatem, patientiam, inimicorum amorem, alienationem a terrenis rebus aliaque similia. Hanc difficultatem non parum augebant *praecipua*, quibus tum Iudaei tum Pagani detinebantur. Iudaeorum animis alte insederat falsus de Messia conceptus, quem futurum expectabant potentissimum regem, a quo Iudaicum regnum restituendum esset, aliisque gentibus subingatis ad summum gloriae fastigium evehendum, contra vero Christus illis praedicabatur humilis, despectus, crucifixus. Gentiles autem sibi persuaserant ex Deorum cultu imperii stabilitatem pendere, ita ut cultu illo sublato, qui cum politico regimine, cum domesticis et civilibus institutis populique moribus tam arcte connexus erat, a legibus suffultus, vulgo carus, et ob antiquam consuetudinem veluti in naturam conversus, imperium quoque diu stare non posset. Hisce addenda est tum *Iudaicae* tum *Romanae nationis superbia*. Illi enim non poterant Christi fidem amplecti, quin eo ipso fateri cogerentur se turpiter errasse in Christo ipso repudiando ac morti addicendo: renuciare etiam oportebat gloriae nationis tamquam a Deo electae, seque Gentilium turbae sibi maxime invisae commiscere. Gentiles autem oportebat antiquae apud se receptae religioni, et clarissimorum suorum scriptorum doctrinae valedicere, ut se ipsos paucorum hominum ex infima plebe abiectissimae, et ab eis despectae gentis discipulos facerent, quod quidem Romanis de propria potentia gloriantibus, et Graecis sua scientia tumidis durissimum erat. Hisce accedunt calumniae contra novam religionem vulgatae, atheismi, incestus, antropophagiae etc. quae magis magisque Paganorum animos ab ea avertebant, agentibus etiam philosophis, et Sacerdotibus idolorum, quos maxime intererat po-

puli animos in avita superstitione confirmare. Si quis vero haec omnia obstacula superare potuisset, manebat tamen durissimum certamen adversus Christianae religionis persecutores, et non solum honori valedicendum erat, ut nomen abiectae et exosae Christianorum sectae daretur, sed periculum etiam subeundum erat inter exquisita tormenta vitam amittendi. Imperatorum enim et praefectorum edictis plerumque cautum erat ut comprehensis Christi asseclis ab exquisitoribus torturis cum iis initium fieret, et demum lenta morte necarentur. Notissima est praesertim Neronis in Christianos crudelitas, quae tanta fuit, ut in coaevorum scriptorum narrationibus horrorem excitet: inter quos Tacitus lib. XV Annalium n. 44 scribit: « Igitur primo correpti qui fotebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convicti sunt. Et pereuntibus addita Iudubria, ut ferarum tergis contexti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies in usum nocturni luminis uterentur. » — Cum igitur tot ac tantae essent difficultates superandae certissimum exinde fit omnes illos, qui initio Christiani facti sunt, non temere et inconsulto fidem Apostolis praebuisse, sed post maturum examen, et nonnisi veritatis evidentia compulso. Quare eorum suffragium pro re nostra gravissimum est.

B. Idem demonstrari potest de Iudaeis et Paganis, qui recusarunt Christi religionem amplecti, eique vehementer obstiterunt.

I<sup>o</sup> Ad Hebraeos quod attinet iam vidimus quid Pharisei, et Scribae putaverint de Christi miraculis: « Quid facimus, inquirunt, quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum (Ioh. XI, 47, 48). » Similiter et de Apostolorum prodigiis testati sunt Act. IV, 16, 17. « Quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notum signum factum est per eos, omnibus habitantibus Ierusalem: manifestum est et non possumus negare. Sed ne amplius divulgetur in populum comminemur eis ne ultra loquantur in nomine hoc ulli hominum. » Quae quidem ostendunt eos saltem factorum mirabilium existentiam et veritatem admisisse, quamvis negarent idcirco Iesum esse Messiam conantes eadem facta per daemonis operationes vel aliis modis explicare. Verum etiam extra libros N. T. Hebraeorum testimonium invenire datur. Duo sunt Iudaeorum doctores et scriptores Iudaici, qui circa aetatem Christi floruerunt, Philo nempe, et Iosephus Flavius. Apud Philonem de

Christi et Apostolorum gestis nullum occurrit testimonium, quod quidem mirum esse non debet si consideretur hunc auctorem nec proprie historicum esse, neque in Palaestina vixisse, ut infra melius videbimus. Alter autem seu Iosephus, de historia Evangelica frequenter testatur tum in libris de Bello Iudaico, tum in Antiquitatibus Iudaicis. Imprimis enim multa refert de Herode, de Pontio Pilato, de sectis Iudaeorum, de moribus populi, de regionis statu tempore Christi et Apostolorum, quae omnino cum narrationibus N. T. concordant, de quibus aliquid dictum est in thesi prima. Hiscæ accedit quod ab eo narratur de Iohanne Bapt. in antiquitat. l. XVIII cap. 5 ubi scribit: « Hunc enim Herodes necari iusserat, quum esset vir bonus, Iudaeosque ad virtutis studium excitaret praeciens, ut iuste quidem inter se, erga Deum autem pie agentes ad lavacrum accederent. Deo enim acceptum iri lavacrum, cum eo non ad expiationem criminum uterentur, sed ad corporis munditiam, utpote mentibus iam ante per iustitiam purificatis. » Quae adamussim cum testimonio Evangelistarum conveniunt. Verum prae caeteris notatu dignum est eisdem Iosephi testimonium in eodem libro cap. 3 n. 3 ubi ex publica fama de Christi sanctitate, prodigiis, morte, resurrectione et Christianorum in eum fide diserte loquitur. En testimonium: « Fuit hoc tempore Iesus, vir sapiens, si tamen virum illum oportet dicere. Erat enim mirabilium operum effector, et plurimos quidem ex Iudaeis, plurimos etiam ex gentibus ad se pertraxit. Hic erat Christus. Cumque eum a primoribus gentis suae accusatum Pilatus ad mortem damasset, ab eo diligendo non abstinuerunt, qui primum coeperant. Nam post tertium diem redivivus ipsis apparuit, cum divini vates haec aliaque quamplurima admiranda de eo praedixissent. Neque ad hanc usque diem defecit denominatum ab eo Christianorum genus. » Non ignoramus criticos quosdam protestantes cum Osiandro et Blondello citatum testimonium uti spurium, et ab aliquo Christiano Iosephi operibus insertum reicere. Ad quod ostendendum sequentes afferunt rationes: 1<sup>o</sup>) Locum illum nullo nexu cum praecedentibus et consequentibus cohaerere. 2<sup>o</sup>) Incredibile omnino esse Iosephum hominem Iudaeum qui numquam in Christum credit, voluisse tam praeclare de illo loqui, eumque *Christum*, seu Messiam, et appellare et demonstrare. 3<sup>o</sup>) Denique hunc locum ignotum fuisse Origeni, Iustino, Tertuliano, aliisque Apologistis ante Eusebium, qui certe non omisissent

tam efficaci argumento praesertim adversum Iudaeos uti. Verum huiusmodi rationes minime ostendunt laudatum testimonium suppositum esse. Inprimis enim illud esse genuinum demonstrant positiva argumenta gravissima. Omnes enim antiqui codices operum Iosephi eum locum referunt absque ullo dubitationis signo. In primitivis etiam exemplaribus melioris notae illum extitisse merito deducimus ex auctoritate Eusebii et Hieronymi, qui saeculo IV scribentes antiquos auctores iuxta antiquos et approbatos codices critice solebant expendere. Porro ambo Iosephi testimonium uti certissimum afferunt. Eusebius quidem in demonstr. Evang. l. III c. 5 et hist. Eccles. lib. I cap. 14; Hieronymus autem in Catal. Viror. Illustr. cap. 13. Plures etiam post eos insignes Ecclesiastici scriptores verba Iosephi allegant ex. gr. Isidorus Pelusiota, Sozomenus, Cedrenus, Nicephorus Callixtus, Suidas et alii. Contra haec positiva argumenta nihil facit 1<sup>o</sup>) Silentium Origenis et aliorum primis tribus Ecclesiae saeculis: potuit enim fieri ut isti vel inciderint in aliqua exemplaria a quibus testimonium illud fuit a Iudaeis abrasum (1), vel, variantibus Codicibus, ab eodem loco afferendum abstinendum putaverint; vel melius dicendum eos superfluum duxisse pro Christi religione tot certissimis rationibus confirmata argumentum ex Iosephi auctoritate deponere, cum eius nomen nec apud Paganos, nec apud Iudaeos magni ponderis esset; apud illos quidem utpote hominis Iudaei, apud hos autem ob nimiam erga Romanos assentationem, quam profitebatur, et ob applicata Vespasiano acerrimo Iudaeorum hosti et debellatori prophetarum vaticinia. 2<sup>o</sup>) Quod autem Iosephus homo Iudaeus tam praeclare de Iesu scribere non potuerit falsum est: nam ille ut sincerus historicus Christi gesta iuxta famam, quae de illo percrebuerat, refert, quin suam de eo sententiam promat; vel si etiam in animo suo Christum admiraretur, non sequitur eius fidem amplectam de facto fuisse: aliud est enim Christi characterem et facta suspicere, aliud eius doctrinae, omnibus superatis obstaculis, nomen dare. Quin potius argumentum ex hoc capite posset contra adversarios retorqueri. Nam incredibile prorsus est Iosephum diligentem et curiosum historicum de Christo nihil in sua historia scripsisse,

(1) Fraude Iudaeorum abrasum a nunnulis codicibus Iosephi testimonium fuisse, quemadmodum etiam alia quaedam, variis rationibus suadet Clarissimus Huetius Demonstr. Evang. prop. III, n. XI.

cum tamen et de Iohanne Baptista (Antiq. XVIII, 3) et de Iacobo fratre Domini (apud Eusebium Hist. Eccles. II, 23) honorifice loquatur ex publica fama, quae tamen certo tanta non fuit quanta Christi Domini. Accedit Iosephum in altero loco mox citato Iacobum designare per appellationem: *fratris Iesu qui dicitur Christus*, quod supponit et illi Iesum notum esse, et huius famam clariorem quam Iacobi fuisse. Nec difficultatem facere debet quod in laudato testimonio absolute dicitur: *hic erat Christus*, quod certe Iosepho persuasum non erat, et in eo prophetarum vaticinia impleta dicantur, siquidem haec omnia non tam ex propria sententia, quam ex publica aestimatione refert Iosephus ita ut in illis verbis ὁ Χρυστός οὗτος ἦν suppleri voluerit ὁ λεγόμενος (qui dicitur) quemadmodum in alio loco superius citato praestitit. Unde merito Hieronymus nostrum locum latine referens in Catalogo c. 13 ita vertit illa verba: *credebatur esse Christus*. Hoc sensu etiam Pilatus homo gentilis Iesum appellavit *Christum*: «*Quem vultis, a't, dimittam vobis Barabbam an Iesum qui dicitur Christus?*» (Math. XXVII, 17) et absolute Tacitus (Annal. XV, 44) de Christianorum secta loquens: «*Auctor, inquit, nominis eius Christus qui Tiberio imperante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.*» Si vero Origenes alicubi observat Iosephum nunquam Iesum agnovisse esse Messiam, hoc laudato Iosephi testimonio non repugnat; quamvis enim de Christo ut fama ferebat loquutus sit, nunquam tamen eius religionem professus est nec de eius divina missione penitus persuasus fuit. 3° Denique textui non congruere locum de quo agimus in merito observant adversarii; est enim mentio illa de Christo obiter inserta in narratione gestorum Pilati, sub cuius Procuratore Christus publicum ministerium exercuit ac morte affectus est: in his vero quae incidenter et pro data occasione ab historicis referuntur non est accuratus nexus quaerendus; caeterum nulla est cum praecedentibus aut consequentibus pugna: stylus etiam hellenisticus, narrandi modus, phrases peculiares cum reliqua Iosephi historia apprime conveniunt (1).

Post Iosephum Iudaei perrexerunt factorum Evangelicorum veritatem seu existentiam admittere; ita ut Tertullianus in lib. ad

(1) Quae hic rapide et leviter tetigimus, copiose disputata sunt a pluribus criticis, inter quos confer praecipue Huetium in *Demonstr. Evang. Prop.* III, n. XI-XIX.

versus Iudaeos cap. 9 de Christi prodigiis loquens ita eos compellere potuerit: «*Haec operatum esse Christum nec vos diffitemini.*» Et in Actis S. Pionii M. (apud Bollandistas die 1 Februarii) Iudaei affirmant Christum necromantiae artibus addictum fuisse et eorum ope a mortuis surrexisse. Quod quidem effugium iam a coaevis Hebraeis excogitatum recentiores eorum scriptores passim arripuerunt, cum scilicet non possent factorum existentiam in dubium revocare; id fit etiam in Talmude in tractatibus *Schabbat* et *Sanhedrim*: ubi tamen tot Christi et Apostolorum facta referuntur, ut quamvis fabellis rabbinicis sint commixta, veritas historiae N. T. ex iis non leviter confirmetur, ut praee caeteris ostendit Raym. Martini in *Pugione Fidei*.

Et haec de Iudaeorum testimonio.

II° De Paganis qui tum Christianam religionem impugnant constat 1° in genere eos non potuisse factorum veritatem negare. Siquidem Apologistae nunquam sollicitos se ostendunt miraculorum existentiam contra illos demonstrandi sed eam uti certam supponunt. — Praeterea id probat eorundem Paganorum agendi ratio cum conarentur variis hypothesebus explicare Christi prodigia, de quibus ita Arnobius in lib. I adv. gentes: «*Magus fuit, clandestinis artibus omnia illa perfecit Aegyptiorum. . . remotas furatus est disciplinas. Quid dicitis, o parvuli, incognita vobis et nescia temerariae vocis loquacitate garrientes? Ergone illa quae gesta sunt daemonum fuere praestigia ac magicarum artium ludi? Potestis nobis aliquem designare ex omnibus illis magis, qui unquam fuerunt per saecula, consimile aliquid Christo millesima ex parte qui fecerit?*» De prodigiorum existentia cum adversariis conveniebat. — Accedit 2° in specie testimonium praecipuorum ex paganis scriptoribus. — *Pontium Pilatum* authenticam relationem de Christi gestis Romam misisse constat ex antiquissimis Apologistis qui Romanos provocant ad haec acta in suis archiviis consulenda, uti facit Iustinus in utraque Apologia, et Tertullianus Apologet. c. 21: «*Haec omnia super Christo Pilatus, et ipse pro sua conscientia Christianus Caesari tum Tiberio nunciavit.*» Haec vero Pilati acta perierunt, siquidem ea quae inter opera PP. extant, non sunt genuina. — *Tiberius Caesar* hac Pilati relatione de Christi gestis ita permotus est ut de Christo inter Deos recensendo cogitaverit, et rem ad senatum detulerit qui eius consilio resititit: id testantur etiam Tertul.

lianus, Eusebius et Orosius. — Idem de *Hadriano*, et de *Alexandro Severo* testatur Lampridius Ethnicus Scriptor in vita Alexandri Severi: « Templum Christo facere voluit eumque inter Deos recipere, quod et Hadrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus civitatibus sine simulacris iusserat fieri, quae hodie idcirco quia non habent numina, dicuntur Hadriani, quae ille ad hoc posuisse dicebatur; sed prohibitus est ab iis qui consulentes sacra repererant omnes Christianos futuros, si id optato evenisset, et templa reliqua deserenda.» — *Sectonius* in vita Neronis Christianos uti incantatores traducit. — *Celsus* apud Origenem in lib. I adv. Celsum Christi prodigia non inficiatur, sed ea tribuit arcanis et magicis artibus, et negat ideo Christum habendum esse ut Deum quia caecos et claudos sanaverit. — Plura testimonia afferemus in solutione obiectionum. — 3<sup>o</sup> Hisce addi potest testimonium *apostatarum*, quos numquam Christi et Apostolorum prodigia negasse constat. Ipse *Iulianus* Apostata apud Cyrillum Alex. or. 2<sup>o</sup> indirecte fatetur Christum caecos et claudos sanasse aliaque miracula patrasse, quae tamen nullius momenti esse dicit: « nisi quis, inquit, claudos et caecos curare, et daemonio correptos adiuvaré in pagis Betsaida et Bethania magni alicuius facinoris loco habeat. »

Iamvero istos omnes Iudaeos, Paganos et apostatas facile potuisse quaecumque fraudem detegere apparet ex adiunctis temporum et locorum in quibus vivebant; ad examen autem institutum validissime impellebantur tum ipsa religionis contrarietate, quae solet mutua inspirare diffidentiam, tum continua Christianorum provocatione, qui hisce factis innixi contra eos decertabant, tum (quoad apostatas) ut suam aliquo modo defectionem cohonestarent asserendo se fuisse deceptos, et fraudes, quarum ipsi participes fuissent, revelando.

### §. III. Solvuntur obiectiones.

Contra veritatem librorum N. T. et praesertim Evangeliorum vix credi potest quanto impetu recentiores increduli ac religionis osiores ferantur: hinc obiectiones innumerae ab iis prolatae sunt, quas si vellemus omnes expendere maiori certe volumine opus esset. Itaque nonnullas tantum, quae praecipuae visae sunt, solvendas suscipiemus, pro caeteris remittentes ad praeclara doctorum

virorum opera, qui singula ab incredulis obiecta persequuntur. Ex his operibus, quae plurima sunt, et satis nota, unum praecipue laudabimus a Laurentio Veith conscriptum sub titulo: « *Scriptura sacra contra incredulos propugnata* » quod opus universam sacram Scripturam in singulis suis partibus adversus incredulorum calumnias et cavillationes tuetur, idque tam selecta simul et sobria eruditione, tam solido ac maturo iudicio ut nullum videatur huius generis opus tyronum usibus aptius commendari posse (1). Ut autem ordine procedamus, obiectiones omnes dividimus in *generales* et *speciales*.

Primum generales obiectiones diluemus, tum vero ad speciales quod attinet praecipuas quasdam speciminis gratia distinctis Thesis expendemus.

1<sup>o</sup> Itaque quoad *generales obiectiones*, earum scopus est sacras Scripturas N. T. universim impetere atque a fundamentis evertere: id autem perficere tentant tribus praesertim modis: 1<sup>o</sup> scilicet *a priori* tamquam certum assumentes nihil admitti posse quod captum rationis superet, aut naturae physicae ordini sit contrarium: ita passim hodierni Rationalistae: 2<sup>o</sup> *argumento intrinseco*, ex defectu qualitatum quae ad fidem faciendam requiruntur in testibus: 3<sup>o</sup> denique *ab extrinseco* opposentes nostrorum testimonio contrarios, et, ut ipsis videtur, meliores testes. Ex tribus hisce obiectionum capitibus primum penitus omitemus: possibilitatem enim revelationis, et miraculorum hic demonstratam supponimus, et Rationalistas eam negantes ad philosophos remittimus. — Alterum argumentorum genus, quamvis ad rem nostram maxime pertineret, ita tamen futile est ut non sit operae pretium in eo relutando tempus insumere. Quid enim afferant adversarii? Apostolos rudes homines fuisse, eosdem in propria causa testes existere, nimio erga Magistrum amore praereptos. — Unusquisque videt quam levia sint ista, et quam plene praecoccupata et soluta dicenda sint per ea quae in Thesi disputavimus de auctorum N. T. dotibus, deque accedente aliorum multiplici et ineluctabili testimonio. Restat igitur tertia classis argumentorum, de quibus breviter dicemus. Itaque

(1) Hinc optime de studiosa inventute meritis est Hyacinthus Marietti, qui hoc opus iam distractis exemplaribus perraro obvium nova eaque nitida, et elegantiori editione in lucem protulit Taurini 1867.

*Obiiciunt* 1° Christianae Religionis et Evangelicae historiae testibus contradixerunt Iudaei et Pagani. Ergo illorum testimonium contrario testimonio prorsus eliditur ac vincitur. — Confirmatur argumentum si dotes testium utrinque considerentur. Contrarium enim testimonium maioris ponderis est 1° ratione numeri; nam adversus paucos testes a nobis adductos stat testimonium immensae multitudinis, seu integrae Iudaicae et Paganae societatis; 2° ratione qualitatum personalium; ex parte enim contradicentium habemus viros doctrina, prudentia, et sociali statu praestantissimos, philosophos, oratores, historicos, sacerdotes, magistratus ac viros principes, contra vero testes a nobis adducti tum scilicet ipsi scriptores N. T., tum illi qui eis se adiunxerunt, ad vulgus ignobile et ad rudem ac simplicem hominum classem pertinent. Fatentur id ipsi N. T. auctores ex quibus Paulus 1° Cor. I, 26 seq. scribit: « Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quae *stulta* sunt mundi... et *infirmi* mundi.... et *ignobilia* et *contemptibilia* elegit Deus. »

*Resp.* 1° Adversarii duo confundunt omnino distinguenda, negationem scilicet religionis Christianae, et negationem factorum quibus eadem religio innitur. Totam illam adversariorum turbam Christianam religionem negasse ac reiecisse res est notissima. Eos vero factorum veritatem seu existentiam in dubium revocasse, et testes nostros falsitatis et mendacii redarguisse probari non potest; immo contrarium ex historia constat, et a nobis superius adductis testimoniis demonstratum est.

*Resp.* 2° Sive isti negaverint factorum etiam veritatem sive non, eorum testimonium non elidit vim testimonii a nobis adducti: siquidem manifestum est eos valida habuisse motiva ad haec neganda, utpote fundamentum religionis invisae, quae bellum passionibus indicabat, eosque in incommoda, et ipsius vitae discrimen vocabat. Eorum igitur testimonium contrarium in hac hypothesis valde suspectum esset: contra vero auctoritas a nobis allata testium immediatorum, qui sua commoda, voluptates, vitam ipsam pro hisce factis testandis ultro dederunt, omni exceptione maior est.

Quod vero addebant adversarii de nostrorum testium dotibus comparatis cum dotibus adversariorum Christianae religionis nihil probat. Siquidem in primis falsum est omnes testes a nobis productos fuisse

homines rudiores et nullius momenti in societate: tales certe non fuerunt inter Agiographos N. T. Paulus, et Lucas; tales non fuerunt e primis Christianis Nathanael, Ioseph ab Arimathea *nobilis decurio*, Lazarus, Iairus *principes synagogae*, Pudens *senator*, Flavius Clemens *vir consularis*, Sergius Paulus *proconsul*, Cornelius *centurio*, Eunuchus reginae Aethiopiae (Act. VIII) plures *Asiae Principes* (Act. XVII, 11) aulici Caesaris non pauci (Philip. IV, 22) multae *nobiles matronae* romanae (Act. XVII, 12); et si doctrina spectetur conspiciuntur hoc nomine Gamaliel et Nicodemus *legis Doctores*, Apollo, Dionysius Areopagita, alique *philosophi* Athenienses (Act. XVII, 24), turba *sacerdotum* (Act. VI, 7) Clemens Rom., Ignatius M., Polycarpus, Iustinus M., Athenagoras, Aristides, Quadratus, etc. etc. — Deinde vero animadvertimus dotes, quae testibus fidem conciliant, eas non esse de quibus adversarii loquuntur, nempe divitias, potentiam, generis nobilitatem aut ipsam humanam sapientiam et philosophiam, sed solam rerum quas narrat scientiam, et animum a mendacio alienum et veritatis amicum; quae duo si inveniuntur, etiamsi testes sint ignobiles et indocti iis credendum est, contra vero si deficiant ceterae qualitates nihil ad fidem faciendam valent. Porro duarum illarum conditionum praesentiam in nostris testibus iam ostendimus, earum vero defectus in Christianae religionis inimicis superstitione et praeeiudiciis praecoccupatis, et coeco furore abreptis satis apparet.

Nec valet opponere, minutam plebem (quam certe non negamus maximam primitivae Ecclesiae partem efformasse) valde credulam esse, et rerum novarum studiosam, siquidem cum hoc verum sit in genere, falsum tamen est quando agitur de iis rebus credendis quae vitae consuetudini, nationalibus praeeiudiciis, naturae humanae tendentis contraria sunt, vitaeque tranquillitatem et securitatem in manifestum discrimen adducunt; in hisce enim populus non ita stultus est, ut facile decipi patiatur, sed potius obstinatio apparet.

*Obiiciunt* 2° Gravissimum argumentum adversum veritatem historiae N. T. desumitur ex silentio scriptorum Iudaeorum, Graecorum, et Romanorum. Siquidem multa, quae narrantur in N. T., eius naturae sunt, ut si unquam accidissent neque ignorari a scriptoribus coaevis potuissent, neque omnino silentio praeteriri. Ex. gr. apparitio stellae (Math. II, 2, 9), strages infantium Bethlemiticorum (Math. II), de qua Flavius tacet, cum caetera Herodis regis crimina